

Britanniam ei provinciam dari, nullis in hoc ipsius sermonibus, sed quia par videbatur. haud semper errat fama ; 7 aliquando et eligit. consul egregiae tum spei filiam iuveni mihi despondit ac post consulatum collocavit, et statim Bri- 5 tanniae praepositus est, adiecto pontificatus sacerdotio.

Britanniae situm populosque multis scriptoribus memo- 10 ratos non in comparationem curae ingeniive referam, sed quia tum primum perdomita est. ita quae priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Bri- 2 tannia, insularum quas Romana notitia complectitur maxima, spatio ac caelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem etiam inspicitur ; septentrionalia eius, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur. formam totius Britanniae Livius veterum, 3 Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae 15 scutulae vel bipenni adsimulavere. et est ea facies citra 4 Caledoniam, unde et in universum fama [est]: transgressis inmensum et enorme spatium procurrentium extremo iam litore terrarum velut in cuneum tenuatur. hanc oram novis- 5 simi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam 20 esse Britanniam adfirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. dispecta 6 est et Thule, quia hactenus iussum, et hiems adpetebat. sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent ne ventis qui- 25 dem perinde attolli, credo quod rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui